



VALETVDINE. 3

hominemq; ad singula munia subcunda habiliorē reddit. Sit autem hæc lætitia siue gaudium ad tuendam ualeitudinem conueniens, temperatum, non excedens modum: nimium enim gaudium syncopen & mortem infert. Huius insignia exempla referunt Liuius lib. 2. decadis 3. Valer. Max. lib. 9. cap. 12. Gelli. lib. 3. cap. 15. Pli. lib. 7. cap. 53. Maxime uerò gaudium confert his qui multis curis & sollicitudinibus distenduntur: potestq; profligatis tristitijs & conuersatione amiculorum ac familiarium, & per usum delectabilis cibi & potus, in ipsis amissum recuperari. His enim uirtus confortatur, teste Auic. 11. 3. cap. de casu uirtutis. Scias, inquit, quòd uirtus augmentetur cibo & uino subtilibus, conuenientibus, & odoribus bonis, tranquillitate, & gaudio, & dimissione eorum, quæ contristant, & rixari faciunt, & rememoratione rerum amabilium, & habitatione cum dilectis. Secundum est, tranquillitas animi. Nobiles Tranquillitas enim ob magnas & diuersas curas quas sustinent, magis læduntur (si cætera pariter adsint) quàm uulgares plebei. Inquietudo uerò mentis, somnum maxime impedit, qui nobilibus, cum sint natura sicciore cholericis, conueniebat. Tertium est moderata diæta, id est modus seu ratio uiuendi (uulgus Regulam uictus uocat,) de qua infrà cap. 55.

DE CONFORTATIONE Cerebri, oculorum. &c.

A 3